

Sic Psalmo 109. tanquam magico incantamento quidam utuntur, certa persuasione ducti, contra quemcunque ardua haec & dura pronunciassent solum verba, illum protinus vel interiturum, vel ut longissime annum supervivere non posse, notante Wiero lib. 5. cap. 6. Dn. D. Geierus, Comment. in istum Psalm. pag. 661. non tantum e Delrio refert, maleferiatos isto abuti ad deprehendendam furem, sed & e Calvino ad. vers. 6. detestabile Monachorum, praecipue Franciscanorum sacrilegium notat, quo conduci se patiuntur ad recitandum hunc Psalmum quotidie pro his, qui hostem suum capitalem volunt perditum. 'Imo in regno Galliae', addit Calvinus, 'scio primariam quandam foeminam conductitios ex Franciscanis habuisse, qui unigenito filio hac forma imprecarentur.' Ast magici instrumenti loco Psalmus sic & eum in finem recitatus est. Qui enim verbis sacris in finem alium, ad quem Spiritus S. non intendit, utuntur, iisdemque virtutem aliam in promissione Dei non fundatam tribuunt, & non ad hominis salutem, sed noxam abutuntur, Magiae saltem indirectae notam non effugiunt, eoque magis incurrunt, quo firmitus propter recitationem mala eventura credunt. Finis Spiritus S. est ostendere in prima & secunda Psalmi istius parte, adversitatum, quibus Davidem Doeg Idumaeus, & consimiles alii Saulis assentatores in ejus perniciem & necem conspirantes afflixerunt, gravitatem, & conceptae inde a Davide indignationis per vehementissimam imprecationem significatae aequitatem.